



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXI. Vtrum sit possibilis virtus aliquæ actiua, quæ non possit reduci
connaturaliter in actum secundum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Q V A E S T I O X X I .

*Virum sit possibilis virtus aliqua actiua, quæ
non possit reduci connaturaliter in
actum secundum?*

Videtur esse possibilis. 1. Quia omnipotentia Dei quatenus actiua effectuum supernaturalium non potest connaturaliter reduci in actum secundum. Alioquin enim effectus supernaturales possent naturaliter existere. Idem nimirum est Deum quatenus potentem producere aliquem effectum reduci in actum secundum; atque eundem effectum existere à parte rei. Vnde idem etiam est Deum connaturaliter posse reduci in actum secundum; & effectum posse connaturaliter existere. Sequela autem est absurda & implicans in terminis. Agnoscenda igitur est virtus actiua quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum.

2. Deus, etiam intra ordinem naturalem, potest efficere infinitas syncategorematicè species rerum magis, ac magis perfectarum absque ullo fine; ita ut fieri non possit, quin semper supersint aliæ, atque aliæ species ulterius producendæ, ut alibi dictum est cum D. Thoma, & plerisque aliis. Consequenter substantiæ spirituales creatæ possunt elicere visiones, & volitiones inuicem inæquales syncategorematicè infinitas intra ordinem naturalem cum perfectione maiori semper, ac maiori, ita, ut fieri non possit quin semper supersint aliæ, atque aliæ species visionis, & amoris naturaliter producibiles, seu naturales & non productæ. Quia substantiæ spirituales possunt naturaliter videre, & amare quicquid naturaliter existere, & ipsis coexistere potest. Ergo non omnis virtus actiua, seu diuina, seu creatæ potest connaturaliter reduci in actum secundum. Ergo aliqua est, quæ non potest connaturaliter reduci in actum secundum.

3. Potentia obedientialis tam hominis, quam Angeli ad actus supernaturales non potest connaturaliter reduci in actum secundum, ut patet. Ea autem potentia obedientialis est aliqua virtus actiua.

4. Possibilis est potentia passiva non reducibilis connaturaliter in actum secundum; ut patet inter alia in potentia passiva humanitatis respectu vniionis hypostaticæ; necnon in potentia passiva cuiusvis naturæ creatæ intellectualis respectu donorum supernaturalium, quæ possunt sibi diuinitus infundi. Potentia autem actiua non habet, ex genere suo, maiorem connexionem cum suo actu secundo, quam passiva cum suo. Immo habet minorem illa connexionem, quam ista. Quia potentia passiva magis indiget suo actu secundo, utpote perfectibilis per ipsum. Ergo non postulat connaturaliter quælibet virtus actiua, ut educatur in actum secundum.

5. Appetitus elicited, licet sit actius obiecti, ad quod fertur, potest esse purè conditionatus, non magis exigens ex se existentiam, quam non existentiam conditionis, sed utramque respiciens omnino indifferenter. Ergo appetitus innatus causæ, siue actiue, siue passivæ potest similiter esse purè conditionatus respectu sui effectus, seu formæ, adeoque respiciens prorsus indifferenter, existentiam, & non existentiam conditionis. Patet consequentia. Quia appetitus innatus existit in natura ad modum appetitus eliciti, ut docet D. Thomas, & alij communiter. Appetitus autem conditionatus respiciens omnino indifferenter existentiam, & non existentiam conditionis appositæ per eundem appetitum, potest connaturaliter destitui conditione, ac proinde, & conditiona-

to. Quia existentia talis conditionis non exigitur determinatè, nec conditionatum intenditur, nisi dependenter ab eadem conditione, & præcisè ex suppositione, quod ipsa existat. Ergo causa tam actiua, quam passiva potest esse talis, quæ ex sua natura non magis postulet reduci, quam non reduci in actum secundum; ac proinde potest esse talis, quæ possit connaturaliter nunquam reduci in actum secundum.

6. Causa libera non potest reduci in actum secundum quoad omnem suam actiuitatem. Quia est actiua contrariorum, atque inuicem incompensabilium. Vnde, utcumque reducatur in actum secundum, suo ipso qualicumque exercitio impedit quominus virtus actiua oppositi effectus æquè sibi conueniens reducatur in actum secundum. Ergo non potest omnis virtus actiua reduci connaturaliter in actum secundum.

7. Potentia visiva cæci nati, aliæque causæ creatæ permanentè impeditæ per alias causas creatas non possunt unquam reduci naturaliter in actum secundum. Non igitur omni causæ, omnique virtuti actiue debetur ex natura rei, ut reducatur, aut ut reduci connaturaliter possit in actum secundum.

8. Id est unicuique rei connaturale, quod Deus in ipsa, ex ipsa, & circa ipsam fecerit. Quia ut dicit Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. *Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit unicuique rei naturale, quod ille fecerit à quo est omnis modus, numerus & ordo naturæ.* Deus autem potest quamlibet virtutem creatam reducere, vel non reducere in actum secundum, prout ipsi libuerit. Nulli igitur virtuti creatæ, seu actiue, seu passivæ debetur ex natura rei, ut reducatur potius, quam ut non reducatur in actum secundum, sed utrumvis eligatur à Deo, erit illi æquè connaturale.

9. Beatitudo, tam naturalis, quam supernaturalis consistit in operatione, ut dictum est quæst. 3. de act. hum. ex phil. osopho D. Thoma, & aliis. Beatitudo autem supernaturalis potest negari connaturaliter à Deo, immò non potest nisi supernaturaliter donari substantiis intellectualibus, quæ solæ sunt capaces illius, ut dictum est sæpè in quæstionibus de Deo, & de Gratia. Ergo substantiæ intellectuales possunt connaturaliter non reduci, immò non possunt nisi supernaturaliter reduci in actum secundum quoad virtutem actiuam operationis, in qua consistit beatitudo supernaturalis. Quia verò plures aliæ operationes, tam earundem substantiarum, quam substantiarum irrationalium ordinantur per se ad operationem supernaturaliter beatificam; dicendum est consequenter plures alias virtutes actiuas proprias agentium, tam rationalium, quam irrationalium posse connaturaliter non reduci; Immo non posse, nisi supernaturaliter reduci in actum secundum.

Art. 1. Responderetur. Frustra esse potentiam, quæ non reducitur ad actum. Atque Deum, & naturam nihil frustra facere, sunt axiomata Philosophi nimis nota, & utrumque traditur 1. de Cælo in fine. Si ergo daretur virtus aliqua actiua, quæ ex sua natura non reduceretur in actum; daretur virtus aliqua actiua, quæ ex sua natura esset frustra, & consequenter factum esset, quod fieri non potest. Nempe ut Deus & natura aliquid frustra faciant. Non est igitur possibilis virtus aliqua actiua, quæ per se, & ex sua natura non exigat reduci in actum secundum; idè quæ à fortiori, quæ non possit connaturaliter in illum reduci.

Art. 2. Idem apparet ex eo, quod omnis virtus actiua, omnèque actiuum principium est propter suam operationem. Quod quidem est admodum manifestum de principio intellectuali. Quod scilicet est intrinsecè ordinatum ad felicitatem, & beatitudinem, ut ad vltimum suum finem propter quem est ipsum, &

& sunt omnia, quæ ipsi infunt. Felicitas autem; & beatitudo consistit, vt modo rectè, assumebatur, in operatione perfectissima, & ad illam peruenitur per omnes alias operationes bonas possibiles infra ipsam, & ante ipsam, tanquam per media ad eam intrinsecè ordinata. Quoduis igitur principium intellectuale est propter vnâ suam operationem, tanquam propter vltimum suum finem, & propter cæteras omnes suas operationes bonas, tanquam propter fines intermedios, seu proximos. Id ipsum est non minùs manifestum de rebus omnibus aliis, quæ intellectuales non sunt. Quia eiusmodi res non sunt gratia sui, nec amantur propter se, cum non sint capaces felicitatis, nec bonis suis frui possint; sed existunt gratia substantiarum intellectualium, vt eas iuuent ad consequutionem sui vltimi finis, & ad pleniorẽ eiusdem iam obtenti fruitionem. Iuuant verò per suam operationem, nec iuuare aliter possunt. Quodvis igitur principium non intellectuale est similiter propter suam operationem, tanquam propter finem intermedium, hoc est, finem habentem rationem medij ordinati ad vltiorem finem.

Art. 3. Itaque tam impossibile est dari virtutem aliquam actiuam, quæ non exigit ex sua natura, vt exerceatur, vtque reducatur in actum secundum, quam impossibile est dari aliquid non exigens intrinsecè suum finem connaturalem, eique non adhaerens innato appetitu. Impossibilis igitur est virtus actiua, quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum, & quæ hoc ipsum non exigit intrinsecè quantum est ex se; ita vt nulli virtuti actiue repugnet reductio sui in actum secundum; Imò cuius repugnet quantum est ex se, vt non reducatur in actum secundum; sitque connaturale reduci, supernaturale, ac miraculosum non reduci, dum nullum datur contrarium impediens ex sua natura operationem eius.

Art. 4. Confirmatur, quia nemo dubitat, quin aliquæ virtutes actiue postulent intrinsecè ex sua natura operationem in ipsis contentam; ita vt connaturaliter per eam exerceantur, & non nisi volenter, aut supernaturaliter impediatur ab ea ponenda à parte rei. Ita comparatur grauius respectu motus deorsum; leuius respectu motus sursum, & vtrique quietis correspondentis illi motui, sol respectu illuminationis, & calefactionis, & sic de similibus. Ergo omnis vniuersaliter virtus actiua postulat intrinsecè exercitium sui, & reductionem in actum secundum. Pater consequentia, quia quælibet virtus actiua est vniuersaliter contentiua operationis, & effectus, cuius est actiua, & simili prorsus proportionem, atque adeò simili prorsus exigentia intrinsecè, refertur ad eandem operationem, & effectum, quatenus sibi commensuratum, nec transcendens limites eiusdem virtutis actiue. Confirmatur rursus, quia nulla est virtus actiua creata, quæ postis conditionibus, omnibusque ad operandum requisitis non postulet intrinsecè productionem sui effectus absolute boni; ita vt sit miraculosum, si nihilominus non operetur, quod est in confesso apud omnes. Eodem autem modo, quo virtus quælibet actiua creata comparatur immediate cum suo effectui præhabitis omnibus ad operandum requisitis, comparatur etiam cum iisdem requisitis antequam ea consequatur. Perinde namque est habilis ex se præcisè ad eiusmodi requisita, atque est habilis ad effectum præhabitis iam iisdem prærequisitis. Repugnat igitur virtus actiua creata, quæ non postulet intrinsecè exigentia absolute effectum in ipsa contentum, quatenus contentum in ipsa, nec non omnia ad illum eatenus producendum requisita. Confirmatur denique, quia nulla superesset ratio discriminis inter effectus, & formas vnicuique causæ, & subiecto connaturales, & supernaturales; si esset possi-

bilis virtus aliqua creata actiua, aut passiva, cui repugnaret ex natura rei, vt reduceretur in actum secundum, seu quæ non posset connaturaliter reduci in actum secundum. Qua de re videri plura possunt accurate discussa quæst. 6. de gratia.

Ad 1. Deus est à se, & propter se adæquatè, idemque est eminenter omnia alia extra se. Vnde quatenus essentialiter exercet rationem principij sufficientiæ adæquatè respectu sui eo ipso exercet eminenter & cum perfecta æquivalentia totam actiuitatem sibi conuenientem respectu creaturarum. Et similiter, quatenus se ipsum habet, seque fruatur, possidet perfectissimè, & totaliter finem, seu quasi finem suum adæquatè. Quapropter, siue actiuitas Dei ad extra reducatur in actum secundum producendo res creatas, siue non reducatur sic in actum secundum, perinde non est frustra, & consequenter vtrumvis est illi æquè connaturale respectu rerum creatarum, tam naturalium, quam supernaturalium. Nempe hæc differentia non conuenit rebus creatis comparatione Dei formaliter, ac præcisè; sed ex comparatione ipsarum inter se, vt manifestum est quæst. illa 6. de gratia; Nec Deus, quando producit effectum aliquem supernaturalem, operatur supra suam naturam, siue supernaturaliter respectu sui, sed tantum supra aliquam naturam creatam, & respectu eiusdem. Pater autem nihil hæc sibi iniucem aduersari, nihilque simile reperiri in actiuitate vlla propria rei creatæ, vt pote non habentis in se finem suum saltem adæquatum, & vltimum, nec exercentis in se, siue eminenter, siue formaliter totam actiuitatem suam.

Art. 1. Ad 2. In primis neque Deus, neque substantiæ intellectuales creatæ habent potentiam productionis totius collectionis suorum effectuum absolute possibilium sumptæ collectivè, seu quoad species, seu quoad indiuidua singularium specierum. Quia ad impossibile nulla est potentia, atque eiusmodi collectio est impossibilis; ita vt repugnet totam poni à parte rei, vtque nulla ulterius supersit adhuc producibilis, & nondum producta, aut species, aut indiuiduum, vt rectè assumitur in obiectione.

Art. 2. Deinde, quod ad Deum attinet iam modo dictum est totam eius actiuitatem esse semper in actu, & in exercitio sibi adæquato eminenter, & cum perfecta æquivalentia, etiam si nihil operetur ad extra; idque esse ipsi essenziale, sicut est repugnans causis creatis. Quod autem attinet ad naturas intellectuales creatas, dicitur totam ipsarum actiuitatem totamque vim videndi, ac cognoscendi reduci in actum secundum intensiue quidem per comprehensionem sui, vel alterius obiecti sibi æqualis. Quia non habent vim cognoscendi intensiue maiorem, quam habeant cognoscibilitatem, vt ponderatum est quæst. 13. de Deo ab art. 2. Extensiue verò, extensione simultaneè cognoscibilium, reducitur in actum secundum eadem vis cognoscitiua per cognitionem simultaneam determinatam, ac finitam alicuius multitudinis cognoscibilium. Quia cum cuius intellectus creatus sit finitus, ac limitatus, necesse est, vt attentione distincta, & clara ad aliquam determinatam, & finitam multitudinem obiectorum, tandem exhauriatur. Porro probabile admodum est talem esse collectionem omnium cognoscibilium de facto existentem respectu omnis intellectus creati existentis atque vtrumvis ex his extremis, in ratione cognoscibilis, & cognoscitiui, esse iustam mensuram alterius ex natura rei de facto, de quo alibi pluseculum dicendum est.

Art. 3. Quapropter ex possibilitate syncategorematicè infinita aliarum, atque aliarum rerum specie diuersarum, haudquaquam sequitur non reduci, in actum secundum, totam virtutem visiuam, & volitiuam substantiarum intellectualium existentium de facto.

facto. Tota enim reducitur nihilominus in actum secundum, ut visum est; tum intensiue; tum extensiue extensione se tenente ex parte virtutis cognoscitiue, & volitiue, de qua est questio. Solum itaque inde sequitur non reduci totaliter eandem virtutem in actum secundum per omnem actum absolute sibi possibilem, & circa omnia obiecta absolute possibilia cum omni extensione possibili ex parte effectuum, & obiectorum seorsim absolute cognoscibilem, & volibilem; de quo non instituitur, nec est opportuna questio. Hoc nimirum solum vtiliter queritur, quoad præsens attinet; vtrum qualibet virtus actiua connaturaliter exigit, ut exercentur tota, & totaliter totalitate ipsius virtutis in aliquo suo effectum, & circa aliquem suum terminum, seu obiectum?

Ad 3. Potentia obedientialis, & naturalis vniuscuiusque causæ differunt tantum extrinsece per diuersitatem intrinsecam comprincipiorum, & effectuum supernaturalium, & connaturalium. Eadem namque virtus actiua, atque entitas operatiua prorsus eadem quoad conceptum suum adequatè intrinsecum, dicitur obedientialis, quatenus coniungibilis est cum comprincipiis supernaturalibus, sibi que indebitis, & quatenus potest cum iisdem producere effectus supernaturales; naturalis verò dicitur, quatenus coniungibilis est cum comprincipiis sibi connaturalibus, ac debitis, & quatenus potest cum iisdem producere effectus naturales. Caterum perfectio, quæ communicatur effectibus supernaturalibus per virtutem actiuam realiter, & entitatiue naturalem, eidemque virtuti formaliter correspondet, est eiusdem omnino rationis cum perfectione indidem derivabili ad effectus naturales. Totum proinde discrimen effectuum supernaturalium à naturalibus prouenit ex comprincipiis supernaturalibus, eisdemque solis formaliter correspondet. Nam ut ait Bernar. de grat. & lib. arb. col. 5. fine: *Simplices affectiones in sunt naturaliter tanquam ex nobis; additamenta ex gratia.* Et rursus *Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolens, ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle.* In quam sententiam plura alia producta sunt q. 18. de gratia. Tota itaque actiuitas conueniens Angelis, & homini respectu actuum supernaturalium, & non nisi supernaturaliter reducibilis in actum secundum per eodem actus supernaturales, exercetur nihilominus, & reducitur connaturaliter in actum secundum per actus naturales: sicut tota virtus productiua cuiusvis causæ respectu vnius alicuius sui effectus naturalis determinatè sumpti reducitur adequatè in actum secundum per productionem alterius effectus naturalis pertinentis ad eandem speciem infimam. Reducitur inquam totaliter totalitate ipsius virtutis, licet non totalitate effectuum seorsim possibilem.

Ad 4. Paritas est bona, & conuincit ratio paritatis, quæ adducitur; sed antecedens est falsum. Dicendum nimirum similiter est repugnare potentiam passiuam, quæ non reducatur connaturaliter in actum secundum per aliquam formam completiuam ipsius ex natura rei. Potentia namque passiuam humanitatis respectu vnionis hypostaticæ, atque personæ diuinæ, ut vtr exemplo obiectionis, completur tota, & ponitur in actum per vnionem naturalem ad personalitatem itidem naturalem; atque his habitis non superest in humanitate vlla vacuitas, seu capacitas ad vltiorem aliquam vnionem alterius simul personalitatis; ad eum vtrique modum, quo vas capax vnciarum octo expletur totum vnciis octo liquoris vtilis non minus, quam totidem vnciis liquoris pretiosi. Idem contingit in quavis potentia passiuam entitatiue naturali respectu cuiusvis doni supernaturalis. Semper etenim correspondet forma aliqua connaturalis eiusdem proportionaliter muneris cum vnaquaque forma super-

naturali, quæ forma connaturalis totam potentialitatem explere, & reducere in actum secundum connaturaliter possit. Alioquin enim daretur potentia aliqua passiuam; quæ ex sua natura esset frustra, nec posset existeret connaturaliter, nisi frustra, eadem vtrique ratione, quæ idem dictum est de potentia actiua. Itaque potentia entitatiue naturalis perficitur quidem multo magis, ac proinde est intrinsece capax, ut perficiatur multo magis per formam supernaturalem, quam per formam connaturalem; atque ideo hæc sibi determinatè debetur, sed est supra omnem eius exigentiam. Et quoad hoc deficit omnino exemplum adductum de vase æquè explebili per liquores inæquales, utpotè non perfectibili per ipsos, neque multum, neque parum, ideoque quælibet eorum respiciente indifferenter, vno eodem prorsus modo. Caterum eadem potentia passiuam entitatiue naturalis ita expletur adequatè per formam, non solum supernaturalem, sed etiam per formam sibi connaturalem, ut simul cum ipsa forma connaturali, nullam aliam eiusdem muneris formam recipere vllò pacto possit. Quæ est sententia eatenus satis communis. Et quoad hoc tenet illud idem exemplum de vase æquè pleno per liquorem vilem, ac pretiosum.

Ad 5. Appetitus elicitus conditionatus fundatur in imperfectiōe cognitionis ipsum dirigentis, nempe in incertitudine eius circa conditionem, vel in apprehensione eiusdem conditionis, admodum incertæ. Appetitus autem innatus rerum dirigitur cognitione diuina, ut docet D. Thomas. 1. 2. quest. 26. art. 1. ex dictis 1. p. quest. 103. art. 1. Atque in cognitionem diuinam neutra imperfectio cadere potest. Quare appetitus innatus nequit esse præ conditionatus; licet talis esse possit appetitus elicitus creatus. Quia itidem ratione exclusus est à Deo quest. 25. de ipso ad 3. omnis appetitus, & actus formaliter conditionatus.

Ad 6. In potentia libera datur simul actiuitas ad opposita; non tamen ad simulatam oppositorum. Est enim potentia ad vtrumlibet oppositorum impediendo simul alterum extremum, contrarietatis, aut contradictionis. Quapropter elicto vtrolibet actu ex inuicem oppositis, reducitur in actum secundum tota potentia libera totalitate potentia, licet non totalitate actuum; & exercetur circa vtrumque ex oppositis, licet non per vtrumque. Deinde potentia, ex quo est proximè libera, connaturaliter reducitur in actum secundum exercitio vtriuslibet actus ex oppositis inter se, ideoque nullam habet actiuitatem non reducibilem connaturaliter in actum secundum.

Ad 7. Ex defectu, & limitatione causarum secundarum prouenit, ut cum inuicem sibi occurrunt, mutuo pugnent inter se, & quæ vincit, impediatur alteram, quominus operetur, vel simpliciter, vel perfecte, atque determinet eandem ut vel nullum producat effectum, vel non nisi defectuosum, & inhabilem ad omnes, vel aliquam operationem propriam suæ speciei. Verum quia fieri potuit ex natura rei, ut causa, quæ impedita fuit de facto, vel non incidere in causam contrariam impeditiuam, vel eam vinceret effectumque produceret perfectum, & habilem ad omnem operationem propriam suæ speciei; atque hoc potissimum quælibet causa, & quilibet effectus exigit, quantum est ex sua natura, & appetit particulari: Quia inquam hæc ita habent apparet quamlibet causam posse absolute, & per se reduci connaturaliter in actum secundum totam suam actiuitatem; & quod oppositum accidat, esse per accedens, & violentum spectata cuiusque causa secundum se natura & exigentia particulari.

Ad 8. Augustinus tum alibi sæpè, tum maxime lib. 9. de Genesi ad litt. c. 17. initio, lib. 2. soliloq. cap. 12.

cap. 12. ad fin. & toto lib. 1. de ordine, necnon lib. 2. vsque ad med. docet luculenter res omnes, & singulas habere in se quasdam naturales suas leges, & quosdam appetitus suos determinatos fundatos in cuiusque rei virtute determinata, vt per ipsam, aut in ipsa aliquid fiat nihilque Deum facere contra eas leges, & appetitus, licet multa faciat supra illos. *Quia non potentia remeraria; sed sapientia virtute omnipotens est, vt dicit loco citato de Genesi. Quare in testimonio, quod obiicitur. To naturale sumitur non prout opponitur supernaturali. Sed prout opponitur contranaturali. Id quod apparet clarè ex principio eiusdem illius sententiæ; nihil contra naturam facit.* Supponitur ergo potius vt certa, quam impugnetur, vt falsa, ab Augustino assertio posita. Verum de tota ista re, deque mente Augustini circa ipsam videri multa vtiliter possunt quæst. illa 28. de Deo.

Ad 9. Eodem ferè modo respondetur, atque ad 3. nempe nullam esse in actibus beatificis perfectionem, aut formalitatem peculiarem correspondentem formaliter intellectui; & voluntati beati, quæ non sit communis aliquibus eiusdem actibus naturalibus ideoque omnem actiuitatem entitatiuè naturalem, seu identitatem realiter cum intellectu, & voluntate beati, quæ supernaturaliter exercetur in actibus beatificis, reduci posse connaturaliter in actum secundum per actus aliquos naturales; ac per consequens fieri connaturaliter minimè posse, vt per nullos prorsus actus reducatur in actum secundum, nisi forte per accidens, vt dictum est. Eadem est suo modo ratio de actiuitate ad actus alios supernaturales.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum qualibet causa possit diuinitus producere propria virtute quemlibet indifferenter effectum secundum rationem eius specificam?

Videtur posse. 1. Quia Augustinus c. 10. lib. 9. de Genesi. ad litt. prop. med. cum prætulisset *elementa mundi habere definitam vim qualitatemque suam; quid vnumquodque valeat, vel non valeat quid, de quo fieri possit, vel non possit*; idque exemplis idoneis exposuisset: *Super hunc autem*, subiungit, *motum, cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi feminales rationes habent.* Ergo quoad ea, quæ potestas creatoris apud se habet, vt de his rebus omnibus naturalibus facere possit, eadem res naturales definitam vim qualitatemque suam non habent vllam, sed indefinitè, ac prorsus illimitatè quiduis de quouis, qualibet species de qualibet specie fieri diuinitus potest. Fieri verò de quouis, & de qualibet potest in genere causæ efficientis, de quo videlicet solo genere sermo, & exempla immediatè præcesserant circa naturalia, immediatè subsequuntur circa supernaturalia.

2. Eandem vniuersalitatem cuiuslibet causæ ad rationem specificam cuiuslibet effectus demonstrant exempla, quæ idem. Augustinus producit ibidem ex sacris litteris; nempe ex Num. 17. de ligno arido, & perpolitio, florente nihilominus, & gignente fructus repente; ex Genesi 21. defecmina per iuuentam sterili, & patiente in senectute; ex Num. 22. de Asina loquente. Nullus nimirum effectus remotior esse potest secundum speciem suam ab vlla causa, quam sint prædicti effectus à prædictis causis. Ergo quilibet

bet effectum potest diuinitus prouenire secundum suam rationem specificam indiscriminatim à qualibet causa.

3. Calor qui se solo potest procedere calorem, coniunctus cum igne, cuius ex sua natura est instrumentum, potest producere ignem formaliter secundum rationem specificam eius; idest potest, quidquid potest ipse ignis; idemque contingit in quibusvis aliis eiusmodi accidentibus. Qualibet enim accidentia coniuncta cum iis substantiis, quarum instrumenta sunt ex sua natura, possunt producere secundum rationem specificam eos omnes effectus, quos possunt producere eadem substantiæ. Quia videlicet quodlibet instrumentum potest in suo genere, quidquid potest in suo principali cuius instrumentum est. Omnes autem Causæ creatæ ex sua natura sunt instrumenta potentie Dei, quæ potest omnia, & secundum omnia prædicata, omnemque cuiusvis generis perfectionem. Ergo omnes causæ creatæ coniunctæ cum omnipotentia Dei possunt producere omnes, & quosvis indiscriminatim effectus secundum omnia, & qualibet eorum prædicata.

4. Actiuitas hominis entitatiuè naturalis potest diuinitus eleuata producere virtute sua actus supernaturales secundum rationem specificam vltimam ipsorum: secundum quam videlicet imputantur illi ad meritum, vt vero ipsorum principio. Nulla autem ratio est, vt alicui effectus supernaturales dicantur diuinitus producibiles secundum speciem suam ab aliqua causa entitatiuè naturali, & non etiam quilibet à qualibet. Imò adest ratio paritatis in oppositum, haud obscura; quandoquidem nulla causa entitatiuè naturalis secundum se præcisè considerata continet in se effectum vllum supernaturalem, quoad rationem eius specificam vltimam; Omnipotentia verò diuina est æque sufficiens quantum est ex se ad eleuandum, ac iuuandum quamlibet causam creatam respectu cuiuslibet effectus, & rationis cuiuslibet specificæ, ac differentialis, atque ad supplendum quemlibet cuiuslibet causæ creatæ defectum, seu insufficienciam.

5. Decet magis amplitudinem dominij, & omnipotentie Diuinæ posse vt virtute propria cuiuslibet causæ creatæ pro qualibet specie effectuum; & similiter decet obedientiam, ac subordinationem creaturarum respectu creatoris esse vniuersalem penitusque illimitatam; nec potest euidenter ostendi vllum, & obedientiam eiusmodi vniuersalem repugnare. Deo autem adscribi debent decentissima quæque, neque sunt ei neganda, absque euidenti ratione repugnantia quæ talia apparent ex terminis.

Art. 1. Respondetur. Dictum est in quæst. præcedenti non esse possibilem vllam virtutem actiuam, quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum in aliquo suo effectum. Esset autem possibilis talis virtus actiua, immò esset talis omnis actiuitas creatura, tum existens de facto, tum absolute possibilis; si qualibet causa posset, vel etiam diuinitus producere, atque attingere immediatè, propria virtute, quemlibet effectum secundum rationem eius specificam. Manifestum namque est nullam causam creatam existere de facto, cuius virtus actiua possit connaturaliter exercere, & reduci in actum secundum circa qualibet species effectuum. Experientia enim constat vnamquamque causam habere ex sua natura Sphæram determinatam actiuitatis, certis quibusdam effectuum speciebus, aut vna tantum specie circumclusam, ultra quam, saltem connaturaliter, progredi agendo nequaquam possit. Quia neque ex frigore calor, ex siccitate humiditas, ex materiali spirituale, nec (aqua sunt exempla illa nuper innuata Augustini) ex tritico faba, vel ex faba triticum;